

terminorum. De illo autem prædicato, *Deus*, non est dubium apud Catholicos, quin omnino proprie de homine Christo dicatur, et facilius de hac propositione concedi potest esse per se, saltem ratione suppositi, quia illud suppositum humanæ naturæ, ratione cuius verum est dicere, hominem esse Deum, per se et essentialiter est Deus; natura enim divina est illi intrinseca et connaturalis, et non adventitia et assumpta, sicut humana.

ARTICULUS III.

Utrum Christus possit dici homo dominicus¹.

1. Ad tertium sic proceditur. Videtur quod Christus possit dici homo dominicus. Dicit enim Augustinus in lib. 83 *Questionum*²: *Monendum est ut illa bona expectentur, quæ fuerunt in illo homine dominico. Loquitur autem de Christo. Ergo videtur quod Christus sit homo dominicus.*

2. Præterea, sicut dominium convenit Christo; ratione divinæ naturæ, ita etiam humanitas pertinet ad humanam naturam. Sed Deus dicitur humanatus, ut patet per Damasc. in 3 lib. 3, ubi dicit, quod humanatio eam, quæ ad hominem est, copulationem demonstrat. Ergo pari ratione potest dici denominative, quod homo ille sit dominicus.

3. Præterea, sicut dominicus denominative dicitur a Domino, ita divinus denominative dicitur a Deo. Sed Dion. 4 Christum nominat, divinius Jesum. Ergo, pari ratione, potest dici quod Christus sit homo dominicus.

Sed contra est quod August. dicit in lib. *Retract.*⁵: *Non video utrum recte dicatur homo dominicus Jesus Christus, cum sit utique Dominus.*

Respondeo dicendum, quod, sicut supra dictum est⁶, cum dicitur homo Christus Jesus, designatur suppositum æternum, quod est persona Filii Dei, propter hoc quod est unum suppositum utriusque naturæ. De persona autem Filii Dei prædicatur Deus et Dominus essentialiter, et ideo non debet prædicari denominative, quia hoc derogat veritati unionis. Un-

¹ 3, d. 7, q. 1, art. 2.

² Q. 36, circa medium, tom. 4.

³ Ort. fid., cap. 11.

⁴ Cap. 4 *Eccl. Hier.*, p. 3.

⁵ Lib. 1 *Retr.*, c. 19, non procul a fin.

⁶ Art. præc., ad 3.

de, cum dominicus dicatur denominative a Domino, non potest vere et proprie dici quod homo ille sit dominicus, sed magis quod sit Dominus. Si autem per hoc, quod dicitur homo Christus Jesus, designaretur suppositum aliquod creatum, secundum illos, qui ponunt in Christo duo supposita, posset dici homo ille dominicus, in quantum assumitur ad participationem honoris divini, sicut Nestoriani posuerunt. Et hoc etiam modo humana natura non dicitur essentialiter Dea, sed deificata; non quidem per conversionem ipsius in divinam naturam, sed per conjunctionem ad divinam naturam in una hypostasi, ut patet per Damascenum, in lib. 3¹.

Ad primum ergo dicendum, quod Augustinus verba illa et similia retractat in lib. *Retractat.* Unde post verba præmissa in lib. *Retract.*², subdit: *Ubi cumque hoc dixi, scilicet, quod Christus Jesus sit homo dominicus, dixisse me nollem, postea quippe vidi non esse dicendum. Quamvis nonnulla possit ratione defendi, quia, scilicet, posset aliquis dicere, quod dicitur homo dominicus ratione humanæ naturæ, quam significat hoc nomen, homo, non autem ratione suppositi.*

Ad secundum dicendum, quod illud unum suppositum, quod est humanæ et divinæ naturæ, primo quidem fuit divinæ naturæ, scilicet, ab æterno; postea autem ea tempore per incarnationem factum est suppositum humanæ naturæ. Et hac ratione dicitur humanatum, non quia assumpserit hominem, sed quia assumpsit humanam naturam. Non autem sic est e converso, quod suppositum humanæ naturæ assumpserit divinam naturam, unde non potest dici homo deificatus vel dominicus.

Ad tertium dicendum, quod hoc nomen, *divinum*, consuevit prædicari, etiam de his de quibus prædicatur essentialiter hoc nomen, *Deus*. Dicimus enim quod divina essentia est Deus ratione identitatis, et quod essentia est Dei sive divina, propter diversum modum significandi, et Verbum divinum, cum tamen Verbum sit Deus. Et similiter dicimus personam divinam, sicut et personam Platonis, propter diversum modum significandi. Sed dominicus non dicitur de his de quibus Dominus prædicatur: non enim consuevit dici, quod aliquis homo, qui est Dominus, sit dominicus. Sed illud, quod qualitercunque est Domini, dominicum dicitur; sicut dominica voluntas,

¹ Ort. fid., c. 3, 4, 15 et 17.

² L. 1, c. 19.

vel dominica manus, vel dominica passio. Et ideo ipse homo Christus, qui est Dominus, non potest dici dominicus; sed potest caro ejus dici caro dominica, et passio ejus potest dici passio dominica.

COMMENTARIUS.

1. August., Athanas., Chrys., Epiphan., Dydimus. — Divus Thomas videtur movisse questionem hanc propter August., qui interdum hac locutione usus est, et postea illam retractavit, ut D. Thomas refert in articulo, et constat etiam ex lib. 2 de *Serm. Domini* in monte, c. 10. Sed non solus August. ea locutione interdum usus est, sed etiam Athanas., in expositione fidei, quæ habetur in tom. 1; et Chrys., homil. de *Cruce Domini*, in tom. 3; et Epiphan., hæres. 69, et in lib. *Ancorato*, post medium; et Dydimus, lib. 3 de *Spiritu Sancto*, col. 4, in 6 tom. *Biblioth. sanctæ*. Nihilominus D. Thomas, sequens retractionem Augustini, negat simpliciter hanc locutionem, quia dominicus dicitur denominative a Domino; unde, cum Christus sit ipse Dominus, non potest vere dici dominicus, quia per hoc importatur solum quædam habitudo ad Dominum. Circa quam rationem et sententiam observanda est regula supra posita de prædicationibus denominativis; non enim omnis prædicatio denominativa repugnathuic mysterio, sed illa, quæ indicat distinctionem suppositorum, atque adeo unionem accidentalem; hoc vero prædicatum, *dominicus*, significat sine ullo dubio habitudinem ad Dominum, et consequenter importat distinctionem rei sic denominatæ ab ipso Domino; unde fit ut humanitas Christi vere possit denominari dominica, quia est distincta a supposito. Et hoc fortasse modo locuti sunt Patres Græci, et August. in prioribus locis; frequens enim apud illos est, humanitatem hominem appellare. Et idem est de passione et aliis similibus; at vero homo Christus, cum non distinguatur a supposito, quod est Dominus, non potest dominicus appellari, quia indicatur Nestorianus error, et distinctio suppositorum. Unde etiam Nazianz., orat. 51, refert etiam Apollinarem illa voce usum esse, ipse vero subdit: *Nos vero rectius Deum et Dominum nostrum appellamus, non enim hominem a Domino separamus.* Addi vero potest, hæc omnia esse vera, si intelligamus, hoc nomen, *dominicus*, dicere habitudinem ad ipsummet Verbum, ut revera contingit in illa proposi-

tione, juxta communem usum terminorum; intelligi tamen posset, hanc denominationem etiam sumi per habitudinem ad Patrem; sicut enim dicitur Christus Filius Dei propter habitudinem ad Patrem, ita etiam potest dici Filius seu Verbum Domini, quomodo in Scriptura interdum appellatur; ergo ratione hujus habitudinis potest dici Verbum dominicum, et Filius dominicus, et per communicationem idiomatum, homo dominicus. Sed quia vocibus utendum est juxta communem usum, cui sensus hic non est consentaneus, ideo hæc locutio introducenda non est. Posset vero hic habere locum quæstio, an, saltem cum hac determinatione, *in quantum homo*, possit hoc prædicatum dici de Christo; sed hæc quæstio coincidit cum illa, an Christus, in quantum homo, possit dici servus, quæ infra, q. 20, tractanda est.

2. Solutio ad primum simul cum art. explicata est. Solutiones vero ad 2 et 3, in disp. præc., sect. 3, tractatæ sunt.

ARTICULUS IV.

Utrum ea, quæ conveniunt Filio hominis, possint prædicari de Filio Dei, et e converso.

1. Ad quartum sic proceditur. Videtur quod ea, quæ sunt humanæ naturæ, non possint dici de Deo. Impossibile enim est opposita de eodem prædicari. Sed ea, quæ sunt humanæ naturæ, sunt contraria his quæ sunt propria Dei: Deus enim est increatus, immutabilis, et æternus; ad humanam autem naturam pertinet, ut sit creata, temporalis et mutabilis. Ergo ea, quæ sunt humanæ naturæ, non possunt dici de Deo.

2. Præterea, attribuire Deo ea quæ ad defectum pertinent, videtur derogare divino honori, et ad blasphemiam pertinere. Sed ea, quæ sunt humanæ naturæ, defectum quemdam continent, sicut pati, mori, et alia hujusmodi. Ergo videtur quod nullo modo ea, quæ sunt humanæ naturæ, possint dici de Deo.

3. Præterea, assumi convenit humanæ naturæ. Non autem hoc convenit Deo. Non ergo ea, quæ sunt humanæ naturæ, de Deo dici possunt.

Sed contra est quod Damascen. dicit, in 3 lib. 1, quod Deus suscepit ea, quæ sunt carnis idiomata, id est, proprietates, dum Deus pas-

¹ Orth. fid., c. 6, in medio.

sibilis nominatur, et Deus gloriæ crucifixus est.

Respondeo dicendum, quod circa hanc questionem diversitas fuit inter Nestorianos et Catholicos. Nestoriani enim voces, quæ dicuntur de Christo, dividere volebant hoc modo, ut ea, quæ pertinent ad humanam naturam, non dicerentur de Deo; nec ea, quæ pertinent ad divinam naturam, dicerentur de homine. Unde Nestorius dixit: Si quis Dei Verbo tentat passiones tribuere, anathema sit. Si quæ vero nomina sunt, quæ pertinere possunt ad utramque naturam, de talibus prædicabant ea quæ sunt utriusque naturæ; sicut hoc nomen, Christus, vel Dominus. Unde concedebant Christum esse natum de Virgine, et fuisse ab æterno, non tamen dicebant, vel Deum natum de Virgine, vel hominem ab æterno fuisse. Catholici vero posuerunt, huiusmodi, quæ dicuntur de Christo (sive secundum divinam naturam, sive secundum humanam), dici posse tam de Deo, quam de homine. Unde Cyrillus dicit¹: Si quis duabus personis seu substantiis, id est, hypostasibus, eas quæ in Evangeliiis, et Apostolicis conscriptionibus sunt, dividit voces, vel ea, quæ de Christo a Sanctis dicuntur, vel ab ipso Christo de semetipso, et aliquas quidem ex his homini applicandas crediderit, aliquas vero soli Verbo deputaverit, anathema sit. Et huius ratio est, quia, cum sit eadem hypostasis utriusque naturæ, eadem hypostasis supponitur nomine utriusque naturæ; sive ergo dicatur homo, sive Deus, supponitur hypostasis divinæ et humanæ naturæ. Et ideo de homine possunt dici ea, quæ sunt divinæ naturæ, tanquam de hypostasi divinæ naturæ; et de Deo possunt dici ea, quæ sunt humanæ naturæ, tanquam de hypostasi humanæ naturæ. Sciendum tamen quod in propositione, in qua aliquid de aliquo prædicatur, non solum attenditur quid sit illud de quo prædicatur prædicatum, sed etiam secundum quid de illo prædicetur. Quomodo ergo non distinguantur ea quæ prædicantur de Christo, distinguuntur tamen secundum id, secundum quod utrumque prædicatur. Nam ea, quæ sunt divinæ naturæ, prædicantur de Christo secundum divinam naturam; ea autem, quæ sunt humanæ naturæ, prædicantur de eo secundum humanam naturam. Unde Augustinus dicit, in primo de Trinit.²: Distinguamus quid in Scripturis sonet, secundum formam Dei, in

¹ In Conc. Ephes. I, cui præfuit Cyril., can. 4, tom. 1 Conc.

² C. 11, in prin., tom. 3.

qua æqualis est Patri, et quid secundum formam servi, quam accepit, in qua minor est Patri. Et infra: Quid, et propter quid, et quid secundum quid dicatur, prudens, et diligens, et pius lector intelliget.

Ad primum ergo dicendum quod, opposita prædicari de eodem secundum idem, est impossibile, sed secundum diversa, nihil prohibet. Et hoc modo opposita prædicantur de Christo, non secundum idem, sed secundum diversas naturas.

Ad secundum dicendum, quod si ea, quæ ad defectum pertinent, Deo attribuerentur secundum divinam naturam, esset blasphemia, quasi pertinet ad diminutionem honoris ipsius; non autem pertinet ad Dei injuriam, si attribuantur ei secundum naturam assumptam. Unde in quodam sermone Ephesini Concilii dicitur: Nihil putat Deus injuriam, quod est occasio salutis hominibus, nihil enim abjectorum quæ elegit propter nos, injuriam facit illi naturæ, quæ non potest esse subjecta injuriis, propria vero facit inferiora, ut salvet naturam nostram. Quando ergo quæ abjecta et vilia sunt, divinam naturam non injuriantur, sed salutem hominibus operantur, quomodo dicis ea, quæ causa nostræ salutis sunt, injuriæ occasionem Deo fuisse?

Ad tertium dicendum, quod assumi convenit humanæ naturæ, non ratione suppositi, sed ratione sui ipsius, et ideo non convenit Deo.

Affirmat D. Thomas, et littera et doctrina ejus est satis clara. Nihil vero addendum occurrit iis quæ in disputatione præcedenti, sect. 3 et 4 dicta sunt.

ARTICULUS V.

Utrum ea, quæ conveniunt Filio hominis, possint prædicari de divina natura; et de humana, ea quæ conveniunt Filio Dei.

1. Ad quintum sic proceditur. Videtur quod, quæ sunt humanæ naturæ, possint dici de natura divina. Ea enim, quæ sunt humanæ naturæ, prædicantur de Filio Dei, et de Deo. Sed Deus est sua natura. Ergo ea, quæ sunt naturæ humanæ, possunt prædicari de divina natura.

2. Præterea, caro pertinet ad naturam humanam. Sed, sicut dicit Damasc. in 3 lib.¹,

¹ Orth. fid., c. 6, circa fin., et c. 8, a medio.

dicimus naturam Verbi incarnatam esse, secundum beatos Athanasium et Cyrillum. Ergo videtur quod, pari ratione, ea, quæ sunt humanæ naturæ, possint dici de divina natura.

3. Præterea, ea, quæ sunt divinæ naturæ, conveniunt humanæ naturæ in Christo; sicut cognoscere futura, et habere salutiferam virtutem. Ergo videtur, quod pari ratione ea, quæ sunt humanæ naturæ, possint dici de divina natura.

Sed contra est quod Damasc. dicit in 3 libro¹: Deitatem quidem dicentes, non nominamus de ea, quæ humanitatis idiomata sunt, id est, proprietates; non enim dicimus deitatem passibilem, vel creabilem. Deitas autem est divina natura. Ergo ea, quæ sunt humanæ naturæ propria, non possunt dici de divina natura.

Respondeo dicendum quod, ea, quæ sunt propria unius, non possunt vere de alio prædicari, nisi de eo quod est idem illi; sicut risibile non convenit nisi ei, quod est homo. In mysterio autem Incarnationis non est eadem natura utriusque naturæ, et ideo ea, quæ sunt unius naturæ, non possunt de alia prædicari, secundum quod in abstracto significantur. Nomina vero concreta supponunt hypostasim naturæ, et ideo indifferenter prædicari possunt ea, quæ ad utramque naturam pertinent, de nominibus concretis, sive illud nomen, de quo dicuntur, det intelligere utramque naturam, sicut hoc nomen, Christus, in quo intelligitur, et divinitas ungens, et humanitas uncta; sive solum divinam naturam, sicut hoc nomen, Deus, vel Filius Dei; sive solum naturam humanam, sicut hoc nomen, homo, vel Jesus. Unde Leo Papa dicit in Epistola ad Palæstinos²: Non interest ea qua Christus substantia nominetur, cum, inseparabiliter manente unitate personæ, idem sit et totus hominis filius propter carnem, et totus Dei Filius, propter unam cum Patre deitatem.

Ad primum ergo dicendum, quod in divinis realiter est idem persona cum natura, et ratione hujus identitatis divina natura prædicatur de Filio Dei. Non tamen est idem modus significandi, et ideo quedam dicuntur de Filio Dei, quæ non dicuntur de divina natura; sicut dicimus quod Filius Dei est genitus, non tamen dicimus quod natura divina sit genita, ut in 1 parte habitum est³. Et similiter in mysterio Incarnationis, dicimus quod Filius Dei

¹ C. 4.

² Est 83, inter med. et fin. illius.

³ 1 p., q. 39, art. 5.

passus est, non autem dicimus quod divina natura sit passa.

Ad secundum dicendum, quod incarnatio magis importat unionem ad carnem, quam carnis proprietatem. Utraque autem natura in Christo est unita alteri in persona, ratione cuius unionis, et divina natura dicitur incarnata, et humana natura deificata, ut supra dictum est¹.

Ad tertium dicendum, quod ea, quæ sunt divinæ naturæ, dicuntur de humana natura, non secundum quod essentialiter competunt divinæ naturæ, sed secundum quod participative derivantur ad humanam naturam. Unde ea, quæ participari non possunt a natura humana (sicut esse increatum aut omnipotentem) nullo modo de humana natura dicuntur. Divina autem natura nihil participative recipit ab humana natura, et ideo ea, quæ sunt humanæ naturæ, nullo modo possunt dici de divina natura.

Hic articulus etiam expositus est in disputatione præcedenti, sectione secunda.

ARTICULUS VI.

Utrum hæc sit vera, Deus factus est homo².

1. Ad sextum sic proceditur. Videtur quod hæc sit falsa: Deus factus est homo. Cum enim homo significet substantiam, fieri hominem, est fieri simpliciter. Sed hæc est falsa: Deus factus est simpliciter. Ergo hæc est falsa: Deus factus est homo.

2. Præterea, fieri hominem est mutari. Sed Deus non potest esse subjectum mutationis, secundum illud Malach. 3: Ego Dominus, et non mutator. Ergo videtur quod hæc sit falsa: Deus factus est homo.

3. Præterea, homo, secundum quod de Christo dicitur, supponit personam Filii Dei. Sea hæc est falsa: Deus factus est persona Filii Dei. Ergo hæc est falsa: Deus factus est homo.

Sed contra est quod dicitur Joan. 1: Verbum caro factum est. Et sicut Athanasius dicit, in Epistola ad Epictetum: Quod dixit, Verbum caro factum est, simile est ac si diceretur, quod Deus homo factus est.

Respondeo dicendum, quod unumquodque di-

¹ Q. 3, art. 2.

² Infra, q. 33, art. 3, corp. Et 3, dist. 3, q. 5, art. 3, corp.; et dist. 7, q. 2. Et op. 1, cap. 48, et op. 3, c. 6; et Rom. 1. l. 2, c. 3.

citur esse factum illud, quod de novo incipit prædicari de ipso. Esse autem hominem vere prædicatur de Deo (sicut dictum est ¹), ita tamen quod non convenit Deo esse hominem ab æterno, sed ex tempore per assumptionem humanæ naturæ. Et ideo hæc est vera: Deus factus est homo. Diversimode tamen intelligitur a diversis, sicut et hæc: Deus est homo, ut supra dictum est ².

Ad primum ergo dicendum, quod fieri hominem, est fieri simpliciter in omnibus his in quibus humana natura incipit esse in supposito de novo creato. Deus autem dicitur factus homo, eo quod humana natura incipit esse in supposito divinæ naturæ, ab æterno præexistente. Et ideo, Deum fieri hominem, non est Deum fieri simpliciter.

Ad secundum dicendum, quod, sicut dictum est, fieri importat quod aliquid prædicetur de novo de altero. Unde quocumque aliquid de novo prædicatur de altero cum mutatione ejus de quo dicitur, tunc fieri est mutari. Et hoc contingit in omnibus quæ absolute dicuntur; non enim potest albedo aut nigredo de novo advenire alicui, nisi per hoc quod de novo mutatur ad albedinem vel nigredinem. Ea vero, quæ relative dicuntur, possunt de novo prædicari de aliquo absque ejus mutatione; sicut homo de novo fit dexter absque sui mutatione, per motum illius qui fit ei sinister. Unde in talibus non oportet omne, quod dicitur fieri, esse mutatum, quia hoc potest accidere per mutationem alterius. Et per hunc modum ad Deum dicimus: Domine, refugium factus es nobis. Esse autem hominem, convenit Deo ratione unionis, quæ est relatio quedam, et ideo esse hominem prædicatur de novo de Deo absque ejus mutatione, per mutationem humanæ naturæ, quæ assumitur in divinam personam. Et ideo, cum dicitur: Deus factus est homo, non intelligitur aliqua mutatio ex parte Dei, sed solum ex parte humanæ naturæ.

Ad tertium dicendum, quod homo supponit personam Filii Dei, non nudam, sed prout subsistit in humana natura. Et ideo, quamvis hæc sit falsa: Deus factus est persona Filii Dei, est tamen hæc vera: Deus factus est homo, ex eo quod est unitus humanæ naturæ.

COMMENTARIUS.

1. *Responsio.*—Respondet D. Thomas simpliciter et sine distinctione ulla, illam propo-

¹ Art. 1 hujus quæst.

² Art. 1 hujus quæst.

sitionem esse veram. Quanquam enim in aliquo sensu, scilicet, si participium *factus*, sit pars subjecti, et non prædicati, sit falsa, quia Christus non est Deus factus, sed Deus verus, juxta ea, quæ in simili docet D. Thomas, articulo sequenti, tamen, quia ille sensus impropriissimus est, et in ea propositione nunquam usitatus, ideo merito D. Thomas distinctionem illam prætermisit, et simpliciter affirmavit quod in proprio sensu de fide Catholica certum est, juxta illud Joan. 1: *Verbum caro factum est*, et ad Rom. 1: *Qui factus est ei ex semine David, secundum carnem*, et ad Galat. 4: *Factum ex muliere*; ad Philip. 2: *In similitudinem hominum factus*, ac denique in Symbolo: *Et homo factus est*, et reliqua Concilia, et Patres omnes loquentes de hoc mysterio his fere vel similibus verbis illud explicant. Ratio vero est, quia suppositum, quod prius simpliciter subsistit, et non est homo, vel aliquid hujusmodi, si postea est homo, vel aliquid tale, necesse est ut factum sit tale; sed ita est in præsentia, nam suppositum Verbi antea erat, et non erat homo, et nunc est homo; ergo necesse est ut factum sit homo, et ita ratione illius verum erit dicere, Deum factum esse hominem. Et confirmatur, quia Deus nunc est homo, et antea non erat homo; ergo vel homo factus est Deus, vel Deus homo; non primum, ut statim dicitur; ergo secundum.

2. Sed quæres primo an illa locutio sit omnino propria. D. enim Bonavent., in 3, dist. 7, art. 1, q. 2, negat esse propriam, quia ille modus locutionis in rigore sermonis indicat, subjectum illud, quod dicitur factum esse tale, mutatum esse, ut patet in inductione in omnibus similibus; sed Deus non est mutatus, cum est incarnatus; ergo non proprie dicitur factus homo. Dicendum tamen est, illam propositionem tam propriam esse quam veram; sicut enim Deus nunc est propriissime homo, licet antea non fuisset, ita propriissime dicitur factus homo; quia per hanc locutionem in tota ejus proprietate nihil aliud significatur, quam acquisivisse esse hominem, quod antea non habebat, per aliquam veram actionem seu effectiorem, sive per illam fiat mutatio in subjecto, quod dicitur fieri tale, sive in alio, ex cujus mutatione resultet ut tale subjectum denuo sit tale. Quanquam enim in creaturis fere semper fiat priori modo, in hoc tamen mysterio posteriori modo, scilicet, per mutationem solius humanitatis, Deus factus est homo, ut supra, disp. 8. fuse

tractatum est, et hic D. Thom., in solut. ad secundum, explicat exemplo relativorum, in quibus dicitur aliquis factus dexter, aut similis, sine mutatione sui, per alterius extremi mutationem. Quod exemplum optimum est ad explicandam propriam vim, et significationem illius verbi, *factum*, quod ex vi sua non importat mutationem in subjecto cui attribuitur. Tenet etiam illud exemplum in hoc, quod per hoc mysterium nihil additum est Deo inhærens ipsi, per quod mutari potuerit, quia relatio unionis in eo tantum est rationis. Quoad alia vero non oportet exemplum in omnibus esse simile, ut in supra citata disputatione latius tractatum est.

3. *Objectio.*—*Responsio.*—*Objectio.*—*Responsio.*—Dices: saltem per communicationem idiomatum necesse est fateri, Deum mutari, si fit homo, quia illa mutatio, quæ fit in humanitate, per communicationem idiomatum tribui poterit Verbo et Deo. Respondent aliqui negando sequelam, quia ex vi illius propositionis significatur, Deum esse mutatum. Sed nulla ratio redditur cur hoc magis per illam propositionem significetur, quam per hanc, *Deus est mortuus*, vel similes. Alii ergo existimant, in rigore illam propositionem esse veram in dicto sensu catholico, quamvis propter ambiguitatem distinguenda sit, quod in aliis motibus factis in Christo homine ego supra dixi, in fine disput. 32. Tamen de hac mutatione, per quam humanitas juncta est Verbo, existimo id non esse verum in propria et rigurosa communicatione idiomatum; quia per illam mutationem non mutatur homo sed sola humanitas; communicatio autem idiomatum non sumitur a proprietatibus, vel actionibus humanitatis, ut sic. Et ratio hujus est, quia hæc mutatio non supponit unionem, sed est via ad unionem; et ideo, sicut humanitas dicitur uniri, et non homo, ita et mutari, et propterea ratione hujus mutationis non potest dici Verbum mutari, etiam per communicationem idiomatum. Dices: ergo nec poterit dici Deus genitus ex Virgine per communicationem idiomatum, quia generatio, a qua illa denominatio sumitur, fit in humanitate, prius natura quam uniatur Verbo, tanquam in subjecto. Respondetur negando consequentiam, primo quidem, quia generatio substantialis non denominat subjectum, sed terminum, qui est suppositum ipsum. Deinde, quia hæc generatio nihil aliud est quam unio formæ cum materia naturali modo facta, et hæc ordine naturæ supponit unionem ipsius

animæ et corporis ad Verbum; ut in superioribus dictum est, et inferius late dicemus, agentes de B. Virgine.

4. *Objectio secunda.*—*Responsio.*—Secundo, dubitari potest an hæc propositio etiam vera sit: *Deus factus est hic homo*. Respondetur breviter, affirmando, sequitur enim ex præcedenti; Deus enim non fit homo in communi, sed in particulari, nec assumpsit humanitatem in communi, sed hanc humanitatem, unde ideo factus est homo, quia factus est hic homo. Et confirmatur, quia Deus factus est Filius Virginis; ergo factus est Jesus, et hic homo; illa enim tria nomina idem individuum significant, quamvis diverso modo. Præterea, quia fieri hominem, significat actionem quæ non versatur nisi circa singulare, et ratione illius dicitur de universali; ergo fit Deus homo, quia fit hic homo. Denique, cum dicitur Deus factus homo, ibi, *homo*, non supponit simpliciter aut immobiliter, ut sophistæ dicunt; ergo licet sub illo prædicato descendere, et designare hunc vel illum hominem, ratione cujus vera sit propositio. Sed contra. Hic homo designat suppositum; sed Deus non est factus hoc suppositum; ergo non est factus hic homo. Respondetur primum, negando majorem, sed hic homo formaliter designat hanc humanitatem ut subsistentem, seu subsistens in hac humanitate; quia de ratione hujus hominis non est hoc suppositum, sed tantum subsistens in hac humanitate, et ita hic homo ex vi suæ significationis hoc tantum designat, præsertim positus a parte prædicati, quod sumi solet formaliter. Deinde, quamvis hic homo diceret hoc suppositum, non tamen utcumque, sed ut compositum ex humanitate, et ita potest Deus dici veri hic homo, non quia ipsum suppositum fiat, sed quia ex supposito divino, et humanitate fit hic homo.

5. *Objectio tertia.*—*Responsio.*—*Objectio quarta.*—*Responsio.*—Sed contra secundo, nam sequitur per communicationem idiomatum posse dici: *Verbum caro factus est Deus*; nam hic homo est Deus; et Verbum factum est hic homo; ergo Verbum factum est Deus; videtur enim hic syllogismus expositorius. Consequens autem est omnino falsum, significat enim Verbum, per aliquam effectiorem acquisivisse divinitatem, quod nullo sensu potest esse verum. Respondetur negando consequentiam; rationem reddit Scot., in 3, dist. 7, q. 2, ad 3, quia communicatio idiomatum non fit in iis quæ significant unionem;